



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Recollectionis motiva. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Quod autem primum tempus humanæ sapientie, quando egredimur pueritiam, & ad rationalem venimus ætatem, *manè* in scripturis intelligatur, multa testimonia docere nos poterunt, de quibus exempli causâ ponenda sunt pauca. Jerem. 7. 13. *Manè* mittebam Prophetas. *Manè* assistam tibi, & videbo. Pf. 29. 5.

Omnis homo, cum sit doratus prærogativâ rationis, debet uti ipsâ, ad discernendum inter bonum, & malum; inter bona præsentia, & futura; inter mala præsentia, & futura; inter bona corporis, & animæ; inter Creatorem, & creaturam: ut, quod melius est, eligat. B. Humbertus p. 1. f. 1. ad omnes homines.

Illud homo dicitur operari, quod ratio operatur: quia homo est id, quod est secundum rationem. S. Thom. Aqu. in c. 7. Rom. Lect. 3.

Ratio debet regere cogitationes, sicut domina regit ancillas, & familiam. Nam videmus, sicut dicit S. Gregorius, quod absente dominâ familia deordinatur: quia ancillarum linguæ perstrepunt, deputata officia negligunt. At ubi

repente domina venerit, mox sistent; & laborem repetunt. Geminiani l. 9. c. 65.

§. III.

Ratione non utentes, vel abutentes.

Egressi sunt omnes cum turmis suis. Jos. 11. 4. Jabin, qui, teste Origene hom. 14. in Jos. interpretatur *sensus*, vicinos reges ad pugnam contra Israël excitat. Exactè obeditur concupiscentiis, & sensibus; rationi negligenter. In delectationibus sensualibus nullus excusationes prærendit, nullus differt: verum si ratio virtuti consentanea, honestati debita, saluti imperet proficua; aut non audimus, aut morosè exequimur. Naxera hic. §. 3.

Melius est, prospicere oculis, quam ambulare juxta voluntatem carnis suæ. Ecclæ. 6. 9. Est animalis homo, qui traditus appetitui sensitivo semitas rationis egreditur. Olympiodorus hic.

Propriè barbari dicuntur, qui ratione non utuntur. S. Thom. Aqu. in 1. Rom. Lect. 5.

TITULUS II. RECOLLECTIO SPIRITUS.

§. I.

Symbola.

Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum. Gen. 2. 3. S. Chrysost. hom. 10. quid est, & sanctificavit illum? ab aliis illum segregavit. Statimque adjecit causam illius Sanctificationis: eò quod *in illo requieverit ab omnibus operibus suis.* Jam hic ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus, erudiens, in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem recollectionem. Fernandus hic.

At illa venit ad eum ad vesperam. Gen. 8. 11. Mira columbæ comitas; quæ jam secundo dimissa, non integrum extra arcam transigit diem; sed alacri volatu ad Dominum, & Curatorem suum, revertitur. Viros justos non remoratur diutius secularium rerum occupatio; quin expeditius ad Domini sui arcam, secretum scilicet contemplationis studium, revertantur. Id. hic.

Maneat unusquisque apud semetipsum; nullus egrediatur de loco suo die septimo. Ex. 16. 29. Abul. q. 13. Manere apud semetipsum est, cum homo extra seipsum non vagatur; & se totum collocat, cogitandode Deo.

Quoniam amicus meus venit de via ad me. Luc. 11. 6. Per amicum istum, secundum quosdam intelligitur animus, seu spiritus, noster; qui dum per terrena, vanâ, atque carnalia, distrahitur, oblectatur, & evagatur; à nobis recedit juxta Psal. 39. 13. *cor meum dereliquit me.* Cum autem ad interiora sua regreditur, & salutaria meditatatur; de via lata perditionis ad nos ipsos revertitur. Dion. Carthus. hic.

Profectus est in regionem longinquam. Luc. 15. 13. S. Gregorius, explicans, quid sit habitare secum: quoties per cogitationis motum nimirum *Polyantha Sacra. Tom. II.*

rùm extra nos ducimur; & fumus, & non fumus, nobiscum: quia, nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit? Qui tamen, cum postmodum cœpit cogitare bona, quæ perdidit, scriptum de illo est: *in se reversus dixit &c.* Hunc ergo venerabilem virum (Benedictum) secum habitasse dixerim: quia in sua semper custodia circumspèctus, ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non divulgavit. S. Gregor. M. in vita S. Benedicti c. 1. apud Bolland. 21. Martii.

Somnus animæ est, cessare à negotiis secularibus, & contemplari de alio Mundo. S. Vin. Ferr. f. 4. D. 17. Trinit.

Dominò domi manente omnes faciunt officium, eò absente nihil minus. Sic, cum ratio se colligit, & consulit conscientiam; omnia perturbantur. Stella de cont. &c. p. 3. c. 38.

Terra. Lem: *Immotâ, nec iners.* S. Bernardus de vita solitaria: otiosum non est, vacare Deo; imò negotium negotiorum omnium. Seneca ep. 8. mihi crede, qui nihil agere videntur, majora agunt; humana, divinæque, simul tractant. Picinelli.

§. II.

*Recollectionis motiva.**Ex Veteri.*

Dimisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur. Gen. 8. 7. Corvus emittitur de arca, quando aliquis vagatur à conscientia sua: & sæpe, vel aquis concupiscentiæ intercipitur, vel cadavere luxuriæ illectus retinetur: Y y 2 idco

ideo dicit Dominus cuilibet, qui est in arca, id est, in Ecclesia; II. 26. 20. *ingredere in domum tuam, & intra in cubiculum tuum.* Hugo Card. hic.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Qui compungitur in-
tus sincera poenitentia spinis, reperit in des-
erto, & in rubo, Deum suum instar Moysis. Ibi
de spinis contritionis flammam excitat amoris;
& monet egredi ex Aegypto tenebrosa, ex fer-
vitate peccati; & tendere in terram promissio-
nis. Adjunge te focium: bonum est in solitudi-
ne cum solo Jesu esse. Marchantius Dom. 1.
Quadr.

Estne Dominus in nobis? an non? Ex. 17. 7.
quarebant olim Israelita. Quarat id quisque
Christianus: estne in me rex meus dilectissimus?
an non? an tyrannus favissimus? Barradius t. 4.
l. 4. c. 7.

Vacate, & videte. Pf. 45. 11. Si vacare ro-
lumus, soli Deo vacemus. S. Paschasius in Thr. 1.

Hac dicit Dominus Deus: si quiescatis, salvi eritis. II. 30. 15. Maxime enim condu-
cit ad salutem, quiescere a negotiis, ac pertur-
batione mundana. Sylveira in Joan. 4. 52.

Redite pravaricatores ad cor. Id. 46. 8.
Debet homo redire ad cor 1. quasi ad iudicii
solum, ut se discutiatur. Pf. 76. *meditatus sum
nocte cum corde meo.* 2. quasi ad vitae princi-
pium, ut se custodiat. Prov. 4. *omni custodia
&c.* 3. ad divina locutionis auditorium. Of. 2.
loquar ad cor ejus. S. Thom. Aqu. hic.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ductus est Jesus in desertum. Matth. 4. 1.
Prima ratio itineris in desertum fuit, ut poeni-
tentiae exemplum daret, in solitudine orando,
jejunando, vigilando, patiendo, & se affligendo,
2. ut doceat te tempus seligere, in quo solitudi-
nem cordis tui ingrediaris: ut ibi audias, quid lo-
quatur in te Deus tuus, Marchantius D. 1. Quadr.

Heri hora septima reliquit eum febris.
Joan. 4. 52. Quare hora septima sanatur puer?
S. Thom. Aqu. per horam septimam signatur
tempus quieti conveniens: nam Dominus *sep-
timo die requievit ab universo opere, quod
patravit.* Gen. 2. 2. Sylveira hic.

Quamdiu te somnus? quamdiu te secularia,
tenent? quamdiu sollicitudo istius vitae? quam-
diu terrena? divide saltem Deo, & saeculo, tem-
pora tua. Vel quando non potes agere in pub-
lico, quae sunt istius Mundi, & tenebrae prohib-
ent noctis; Deo vacato, indulge orationibus.
S. Ambros. in Pf. 118. f. 19.

Qui toto anno nobis viximus, saltem vel
paucos dies vivamus & Domino. S. August. l. 2.
Dom. 1. Quadr.

Deputentur tempora, distribuantur horae,
pro salute animae. Id. Conf. l. 6. c. 11.

Eligatur tibi opportunus, & aliquantum a fa-
milia strepitu remotus, locus; in quem tu, ve-
lut in portum, quasi ex multa tempestate cu-
rarum, te recipias; & excitatos foris cogitatio-
num fluctus secreti tranquillitate componas.
Tantum ibi sit divina lectionis studium, tam
crebra orationum vices; tam firma, & pressa,
de futuris cogitatio; ut omnes reliqui tempo-
ris occupationes facile hac vacatione compen-
ses. S. Hieron. ep. 14. fortè Paulini Nolani Ep.
ad Celantiam.

Amet homo, amet sanctum otium; in quo
exerceat animae suae negotium. S. Prosper de vi-
ta cont. c. 8.

Eja nunc homuncio! fuge paululum occupa-
tiones tuas; absconde te modicum a tumultuo-
sis cogitationibus tuis. Abijce nunc onerosas
curas, & postpone laboriosas distentiones tuas.
Vaca aliquantum Deo, & requiesce aliquan-
tulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuae;
exclue omnia, praeter Deum, & quae te juvent
ad quaerendum eum. Dic nunc totum cor
meum, dic nunc Deo: quaero vultum tuum,
vultum tuum, Domine requiro. Pf. 24. 8. S.
Anselmus Profologii c. 1.

Memento, non dico semper, non dico saepe,
sed interdum reddere te ipsum tibi. S. Bernardus
Confid. l. 1. c. 7.

Quam facere potes sapissime, spiritum
tuum per diem Deo praesentem siste. Sicut aves
nidis in arboribus habent, in quos sese recipiunt,
cum opus est: & cervi dumos, & cunabula, sub
quibus sese abduunt, & occidunt; dum umbram
in aetivis caloribus captant. Sic, o Philothea,
corda nostra aliquem sibi locum quotidie cap-
pant, & seligant, oportet, vel in monte Calva-
riae, vel in vulneribus Salvatoris nostri. S. Franc.
Sales. Philoth. p. 2. c. 12. de recollectione.

Quod foris est, miserabile est: quod intus
est, mirabile est. Intus ergo vide, & non mi-
raberis, quidquid foris apparet. Hugo de S. Vict.
in Pf. 67.

Gentiles etiam Sinae nonnulli ad praedium
suburbanum conferre, animi colligendi, com-
mentandi, sui ipsorum reformandorum gratia
solent: ut in primævum, in quo initio conditi
fuere, statum, ut ajunt, se restituant. P. Petrus
Janicus in thes. rer. Indic. tom. 2. l. 2. c. 20.

Chinensium libris sigillatim commendatur
continuum sui ipsius, actionumque suarum;
ac praecipue earum, quae in aliorum oculos non
occurrunt, examen. Eam ob causam magni fa-
ciunt secessum ad villas, & loca solitaria: quod
nonnulli faciunt, ut diligentius vacent contem-
plationi luminis naturalis; & seipsi reforment,
revocando se ad pristinum statum, in quo, ut
ipsi loquuntur, de caelo conditi sunt. Ex. lit. P.
Nicolai Longobardi 1798. ex China.